DE SEDITIONIBUS

PER VERAM DOCTRINAM

NUMQUAM OBORTIS

PANORMI

MDCCCXLIX.

FRANCISCO BORBONIO

CALABRIÆ DUCI,

PRINCIPI JUVENTUTIS,

FERDINANDI II.

UTRIUSQUE SICILIÆ, ÆTERNO JURE, REGIS

FILIO,

MUNIFICO IN INSULA PRO-REGI,

E DEMOCRATICO, NUPER, FLAGRANTI NAUFRAGIO

UNUS EGO, EX CORDE, SOSPES,

CONSTANTIS OBSEQUII ERGO,

LITTERARIUM HOC ET CIVILE PALLADIUM

IN SEDITIONES,

SPONTE,

D. D. D.

Panormi 30. Mai MDCCCXLIX.

Joseph Zappulla

IN SEDITIONES

PROŒMIUM

Quantum, in veritatis investigatione, inductio, suis circumscripta limltibus, probabilitati opinionibus nostris suppeditandæ perutilis est, tantum sæpissime nos ita desipere cogit ut de aliis hominibus, aliisque populis, nedum ætatis nostræ, verum etiam anteactæ, ex eo quod penes nos accidit, judicare non dubitemus. Quod, si fallaci hac consuetudine, quâ a nostris aliena, a præsentibus præterita, a manifestis abscondita, metimur, frequenter decipimur, etiam si de præsentibus et manifestis recte sentiamus, quis poterit errorum numerum et gravitatem attingere, si falso eadem judicia nostra laborent? Hinc fit ut, sicuti nostris hisce incostantiæ et tumultus temporibus, omnia in auxilium adscita sunt ab hominibus Seditionum studiosis, doctrinâ non exceptâ, plures hanc unam putent tot Euro-

pæ populis fervoris causam fuisse, quo non secus ac olim Abderitani omnes, tempore prorsus eodem, furere visi sunt. Tam fallaci ope inductionis (quâ ex omnibus errorum fontibus nullam aut copiosiorem aut nobis decipiendis aptiorem experimur) plerique autumant doctrinam suamet natûra stimulo esse omnibus, quicunque ea polleant, ut civilis societatis ad quam attinent ordinem perturbare numquam desinant.

Idcirco, hac de re quæstio instituta est quæ (hodie præsertim) magni videtur esse momenti, et ingenuorum hominum meditatione dignissima. Eamque, senili consilio, bipartire mihi placuit. Primum enim quæritur: *Num uberior ac felicior ingenii cultura incitamento sit illis qui eâ sint præditi, ut ei sub quo degunt regiminis statui se accomodent, eique plenius inserviant, an potius proclives illos reddat ad optandas et procreandas, fatales, publicarum rerum conversiones.* Et hanc quidem problematis partem Metaphysici sibi, fere, vindicant, utpote quæ in interioris hominis contemplatione versetur. Altera pars, eaque Moralis Philosophiæ præsidio egens, scrutatur utrum eorumdem propensio in majorem laudem et utilitatem cedat.

Liceat mihi duplici huic adeo delicatæ investigationi vacare. Liceat, imum, hominis cor cultro quasi anatomico rimari. Deleant, fremant, maledicant mihi qui velint. Nullæ sunt privatæ rationes, *sine ira et studio, quorum caussas procul habeo.* (Tacit.) Publica quies mihi Numen est, cui omnia a veritate sunt immolanda.

PARS PRIMA

De quâ cultiorum hominum specie relate ad publicas rerum conversiones mihi fari mens est definiatur primum oportet. Hi sunt nempe ii qui, notionibus non contenti quæ hominum animis per totam Europam insitæ, et quodam modo consignatæ sunt, immo indignantes præterea peculiari hominum numero recenseri qui ingenio ita præstant ut liberalibus ac nobilioribus civilis societatis officiis fungendo pares sint, altiorem exquirunt doctrinam, quâ aliis in hac vel illâ humaniori disciplinâ præcellent, quaque vulgari vocabulo *doctos* homines nuncupamus. Jam vero id primum mihi probandum assumo eorumdem doctrinæ nihil inesse quo quicumque eâ sint præditi necessario ad perpatrandas legitimi regiminis conversiones impellantur.

Neminem porro latet notiones omnes, queis homo ditari potest, cujuscumque generis, demum, sint, vel ad Naturæ imitationem, vel ad ejusdem investigationem pertinere, unde sequitur homines culturâ ingenii præcellentes naturæ vel investigandæ, vel imitandæ operam dare.

Sectio I.

Ac primos quidem eos ducimus qui humanioribus Litteris vel Artibus indulgendo, ceu

rari nantes in gurgite vasto,

Virg.

iis omnibus superemineut, qui, invitâ Minervâ, tantum ac tam difficile opus aggredi ausi sunt. Hos porro non aliud interesse discrimen censeo quam instrumentum quo singuli utuntur, quum fossiles materiæ et marmor id sint Picturæ vel arti Phidiacæ, quod sonitus Musicæ, motus et gestus Pantomimicæ, sermo Poësi. Omnes cæteroquin pariter pulchritudinis amore rapi, omnes suimet aliorumque nobiliori cuidam voluptati studere liquet. Novis assidue Naturæ vel Artis spectaculis detenti, per medios populos peregrini potius quam accolæ, absentes immo potius quam præsentes dici possunt, nec quid utilius, sed quid pulchrius sit, vel sublimius semper exquirunt. Equidem, non contendam posse hos aliquando vetusto regimini immutando animum convertere, sed peculiari quâ præditi sunt ingenii culturâ ad hoc incitari posse vehementer nego. Nil in eis diuturnum, nil in eis permanens. Inconstantia omnia e contra; omnia, veluti sensificæ illorum fibræ, volubilia. Eos adeo nunc allicit mare tumultuosum, vel æstuans Æthna, quam paullo post antiquæ sylvæ horror, vel sepulchreti squallor atque silentium. Nec minus dulce eorum menti oblectamentum præbet Actiacum prælium, quo sub Unius imperio omnia conquieverunt, quam Lucretiæ, aut Virginiæ mors, quarum sanguine bis est Romano populo concessa Libertas. Quod, si quædam ii de publicis rebus vota alunt eo respiciunt ut Artes, quas profitentur, remuneratione donatas; Pinachotecas tabulis signisque refertas; Academias recte constitutas videre fas sit. Gravioribus negotiis omissis, non ea crucian-

tur ambitione, quæ regendos imperio populos concupiscit, sed quæ melle dulciores condendo versus, excudendo molliter aera, ducendo e marmore vultus, alienam captat admirationem.

Nec, vero, his quæ diximus historia dissona. Testis est Græcia, Ingenuarum Artium et Litterarum mater et fœcunda altrix, quæ inde utilitatem semper atque splendorem, damnum nunquam vel timorem, sensit. Ut enim de Homero taceam, quem austeriori Lycurgo pariter ac ambitiosis Pysistrato vel Alexandro in deliciis fuisse compertum est, nonne ibidem quemadmodum Miltiades et Themistocles, Epaminondas et Pelopidas minime caruere monumentis, quæ rebus ab eis gestis celebrandis libertatisque simul et patriæ amori excitando apta forent, ita, nec Pericli, Athenarum arbitro, Phidias et Sophocles, qui ejus laudes carminibus vel cœlato opere testarentur, nec Alexandro Lysippus, Praxiteles, vel Apelles defuere?

Nam, quid de Româ dicam? Nonne eadem libertatis suæ sæcula, rudiora illa quidem, per Fabium Pictorem, Ennium, Plautum, Terentium, Lucretium, Catullum exculta et ornata cognovit, deinde Cæsarum dominationi subdita egregiorum artificum ope marmorea facta est, et in ipsa Augusti regiâ sensit Maronis tubam, lyram Horatii, Philetæam Propertii fistulam, variumque semper et facile Ovidii melos harmonico pene concentui apte dispositas?

Ast, cur de veteribus loquor dum proximiora tempora sententiœ nostræ clarius et invicte favent? Oh

vere felix et gloriosissimum nobis Sextum decimum Sæculum, quo, dum populari gubernatione uterentur Etruriæ Reipublicæ, Optimatum vero consilio Ligustica et Veneta regerentur, et unius dominio cæteræ, pene, omnes regiones subditæ forent, ubique, tamen, innocuas, quin immo utilissimas, ingenuas, quotquot sunt, Artes fuisse scimus! Tunc, quidem datum est uno, eodemque, prorsus, tempore, videre Raphaelem Vaticanas maximorum Pontificum ædes picturis ornantem, Ariostum, mox Torquatum inter Estensium purpureas togas et sceptra canentes, liberæ Florentiæ Bonarrotium templa et curias qua architectantem, qua scalpro, vel penicillo decorantem. Dum Bembus præsertim, et Casa mores et loquelam expoliebant, queis nos utimur, Scamotius, Sansovinus, et divinus ille Palladius vias quas terimus, ædificia quæ incolimus, elegantiæ et magnificentiæ decoribus exornabant, nulla habita vel loci vel dominationis in eo vigentis ratione. Tunc, primum consurgere, et ad cœlum caput levare visa sunt magnifica Templa, splendidissimæ Aulæ, eximia Atria, immensa Fora, tum Porticus, Arcus, omnia, denique, queis Italiæ urbes pulcherrimæ exterorum admirationem et invidiam excitare valent. Tunc, patefacta primum nobis doctissima illa Picturæ gymnasia, quæ nullo alio nisi mutuæ æmulationis studio flagrabant.

Hic lucem et umbras, miro quodam artificio temperandas, et omnes in suas tabulas pingendi charites evocandas suavissimus Corregius, illic magnificentiam

quamdam et pompam splendidiore stylo Veronensis Paulus inducendas curabat. Ex una parte colorum vi, veritate, et harmoniâ Titianus lascivire quodammodo videbatur, ex illa rei pingendæ perfectam similitudinem lineis circumductis consequi et robore omnia Florentinus Michael, *Angelice*, replere nitebatur. Interim, vero, nulli secundus, Urbinas singula aptis et accomodatis locis sistendo, quoslibet animi motus, veritate duce, exprimendo, partium varietatem infinitam admirabili consilio in unum reducendo, Naturæ quodammodo timori erat ne et, eo sospite, vinci, et, moriente, mori videretur.

Atqui, hujusmodi tempora ea sunt, in quibus morales humaniorum Artium effectus, relatim ad eos qui ipsas colunt, eorumdem indolem, et quem in publicas res exercent influxum investigari fas est. Cachinnis, itaque, excipiendos ducimus quotquot, peculiaris historiolæ cujusdam armis muniti, contrarium evincere conantur, quæ nihil aliud confirmare videntur nisi ex Artium cultoribus posse quemdam, utpote hominem, publicarum rerum conversiones diligere, causis tamen omnino alienis ab ea quâ pollent ingenii culturâ.

Sectio II.

De iis, nunc, loquendum est, qui, Naturæ investigandæ operam dantes, doctorum virorum nomen adipiscuntur. Ex duplici ipsius aspectu alii Physicum contemplandum suscipiunt, alii Moralem mundum.

Ut rite, igitur, progredi possimus, perpendamus, primum, an Physici suamet doctrinâ ad optandas procreandasque politicas conversiones incitentur. Equidem, nullum ex iis Statui periculum impendere, eosque publicæ securitati conservandæ opportuniores fortasse quam Naturæ imitatores esse censeo. Nemo est qui ignoret materiam, quæcumque ea sit, tam quæ vitâ et sensu gaudet, quam quæ vel alterutro vel utroque caret, nec non leges, quibus eam parere Natura jussit, id esse in quo eorum scientia versetur. Quod, vero, eos ad hujuscemodi contemplationes inducit aut veri amor esse potest, aut aviditas quædam cognoscendi et explicandi quæ et in nobis et circa nos videmus accidere. Undenam, quæso, aliud ullum studium hauriatur quod hominem a politicis animadversionibus magis amoveat? Si, enim, in vitæ tam moralis quam civilis cursu unusquisque sequitur eas quas sibi proponit normas, quis, tandem, erit philosopho huic vivendi modus cui nullæ prorsus e suâ scientiâ depromptæ suppetere possunt? Quapropter id affirmare non dubito nullam ei, quatenus Physicæ Naturæ contemplator est, incitamentum dari, neque ut se accomodet, neque ut obstet societatis, cujus est particeps, ordini servando.

Perspicuitas, porro, illa et evidentia, quam in materiæ consideratione invenit, et quâ tantopere delectatur, efficit ut quamlibet fastidiat moralem investigationem. In his, enim, raro admodum occurrunt quæ sensuum, quibus se referre diligit, potestati submissa

sint; raro quorum explicatio dubitatione careat; raro quæ constantem aliquem causam, ad quam plura reduci possint, demonstrent, quùm moralis rerum ordo is sit qui rebus, suapte naturâ, veritati obnoxiis, constet; raro, denique, sententia ulla extat quæ adeo effati loco haberi possit ut innumeras exceptiones et quasi vicissitudines non patiatur, unde fit ut numquam in moralibus investigationibus auream illam et venustam simplicitatem invenire fas sit quæ in physicis numquam deesse videtur.

Innocens syderum, animalium, vegetabilium, fossilium investigator tunc, tantum, se publicis rebus gaudet immisceri quùm vel utilibus promovendis Artibus, vel patriæ, ab hoste tutandæ, advocetur. Syracusas appello quæ, et imperante Hierono et iterum liberæ, nullum Archimede vel utiliorem civem vel magis validum defensorem sunt expertæ. Quæ vero utilitas, me Hercule! quæ defensio! Si Mechanicorum valida scientia innumera populo beneficia contulisse constat, quid de eo dicendum est quem ejusdem repertorem, et quasi patrem fuisse compertum est? Archimedi agricolæ cochleam debent, in qua proclivitas eadem quam cadendo habet aqua fuisse videtur ad ipsam extollendam, quacumque vel irrigandis agris vel armentorum siti restinguendæ utilis esse possit. Ei trochleas mobiles earumque glomeramina artes fabriles debent. Ei machinam nautæ, qua exhauriendis aquis e navium sentinâ tamdiu usi sunt, nec non ingeniosissimam illam sphæram, cœlestium corporum mo-

tui declarando aptissimam, debent. Ei rex ipse Hiero II. se debere professus est quod paucorum auxilio servorum navem illam suam, quamquam immensam, in mare agere potuerit. Ei, denique, patria laudes maximas debuit eo quod et diu et summâ cum gloriâ Romanis, quibus universi terrarum orbis imperium Fata servabant, resistere valuit. Omitto innumera alia queis et de hominum facultatibus et de civibus, præsertim suis, optime meruit. Liceat tantum doctissimi Leibnitzii de eo loquentis sententiam, illi parem Quintiliani pro Cicerone, adducere: *Qui Archimedem intelliget summorum virorum inventa parcius mirabitur.*

Atque, ut suæ laudes nostræ quoque ætatis Physicis non desint, ex his quorum tantam habemus copiam satis erit unius Rumfordii nomen in memoriam revocare. Summus iste vir, qui, felici quodam Philosophiæ fato, in lucem editus dici potest, Americanâ patriâ sponte extorris, nimiæ ergo fidelitatis in eos principes, quos cives sui detractabant, benigne ab optimo Primo Bavariæ Rege exceptus est. Non ita pridem Monachium, quam novam sibi patriam elegit, ingressus, novo quodam pietatis exemplo doctrinam suam egenis levandis sacrare statuit, et mirifico votis respondere visus est patris potius quam Regis, e quo sibi commissum fuerat istud quo sanctius, eo Regum ac doctorum hominum curis dignius officium.

Desinant, igitur, boni viri a Physicæ cultoribus impedimentum aliquod publicæ securitati metuere. Simplicissima et benigna eorum vota sunt quantum ipsa Na-

tura, cujus interpretes dici merentur. Hoc unum laborant ut, quamtum fieri potest, Naturam ipsam homini subjiciant, eam pro hominibus pugnare, eorum bono uberiorem et operosiorem fieri compellant. Nec aliud, veluti pulchrarum Artium et Litterarum cultores, de quibus jam satis sumus superque locuti, ab iis quibus parent implorant nisi ut per eos studia, quibus incumbunt, tutamen atque incrementum, utiliora inventa subsidium, Academiæ et gymnasia patrocinium obtineant. Equidem felicissimam censeo fore societatem quæ hujusmodi civibus redundet. Si, enim, iidem votorum compotes suorum effecti sint, non mediocre inde publicæ prosperitati augmentum additum fuisse manifesto apparebit.

Sectio III.

Omnia quæ e doctrinâ fluere, et publicis rebus impendere possunt pericula ad unum illum redigi videmus doctorum hominum cœtum, qui Moralis Philosophiæ studio operam navat. Sunt hi quilibet vel totam, vel aliquâ ex parte hominum indolem intime cognoscendam suscipiunt, unde quæ ejusdem sit destinatio, quæ jura, quæ, vicissim, officia deducere, statuere, patefacere conantur, idque prestant investigando quæcumque eum, vel privatim, vel publice, respiciant, prout vel ex singulorum hominum internâ pariter ac externâ, vel ex nationum historiâ appareat. Eadem ipsa Moralis Philosophiæ definitio nos, quodammodo,

monet quantum in eâ hominum disputationi concessum esse debeat, quantoque dubio laborare possint plurima quæ per eam nobis, et demostrari, et præcipi videntur. Hinc, tanta sententiarum, et præceptorom varietas. Hinc, tanta diversitas in ipsâ hominum vivendi ratione, qui diversis, incirco, normis uno licet eodemque tempore, et loco regi possunt.

Quomodo, ergo, propositæ quæstioni in eo quod ad Morales attinet Philosophos satisfacere dabitur? Unica est via, unius cujusque sententias indagandi. Neque enim semper Philosophorum doctrina publicæ saluti perfecte consona, nec ubique fuit, quin imo nonnunquam (et nostris, præsertim, temporibus!) absonam prorsus quam plurimi profitentur esse inficiari nullo modo possum. Ac videant Philosophiæ adversarii quam ingenue cum iis agere velim, qui sponte eas tam veterum, quam recentiorum Philosophorum opiniones de Republicâ costituendâ summatim recensere velim, quæ perniciosæ, et periculo non omnino vacantes et creduntur et sunt. Inde, enim, dabitur meam plane lateque sententiam asserire quæ non ea est ut semper, et ubique suamet doctrinâ suadente, homines qui eâ pollent ad amplectendum fovendumque illum sub quo degunt rei publicæ statum incitentur. Contra, enim, censeo nonnumquam, sed rarius quam adversarii putent, res in contrarium vertere idque hominum non Philosophiæ culpâ contingere.

Ac, primum, de Pythagorâ suisque asseclis sermo habendus. Acuto hic ingenio præditus, Philosophiam, di-

vino prorsus consilio, hominibus erudiendis, et educandis applicare statuit. Diu in Egypto, regione tunc omnium cultissimâ, moratus, nihi omiserat ut singula quæ ad Sacerdotes, penes quos gentis illius regimen erat, pertinerent plenius disceret, itemque Arithmeticæ, quâ maxime delectabatur, quasi calculo subjiceret quoscumque inde effectus in populi culturam manavissent. Inde, accidit ut finem longe nobiliorem, et humano generi magis utilem sibi proponere visus est, non Sacerdotum, ut in Ægypto, sed Philosophorum conventum statuens, primum in Magnâ Græciâ, deinde ubi tantumdem prestandi pateret occasio. Atque hi porro postquam mutuâ consuetudine et coabitatione invicem erudiri et meliores effici potuissent, eo incumbere debebant ut, si quando sese sors offerret, politicam nationum constitutionem, leges, instituta ita *temperarent* ut civilis societas purior inde fieret ac felicior. Dolendum sane est eo quod non singula quæ tanto operi complendo conducere ratus erat Pythagoras ad nos usque pervenerint. Quæ tamen scimus tanta sunt ut et consilii sui vastitas, et quam integrâ mente eidem exequendo laboraverit argui apprime possit, licet ejus conamina in felicissimo exitu clausa fuisse notissimum sit. Contendebat autem Pythagoras harmoniam quamdam inesse universo terrarum orbi, a quâ dissonum hominum genus esse nefas sit, ita ut homines non solum interioribus animi motibus, sed corporeis quoque actibus, et mutuis illis vinculis, queis homini homo, gens genti adnectitur,

universali huic harmoniæ servandæ et augendæ inservire debeant. Simplex hæc et brevis narratio sufficit, ni fallor, tanti hominis, suorumque assecbarum memoriæ et consilio ab omni injuriâ vindicandis. Ecquid, enim, erat Pythagoreorum officium nisi meliorem reddere rei publicae conditionem, servatâ tamen ejusdem formâ utrumque vel Unius vel Plurium auctoritate gubernaretur? Non eis erat quæstio de potestate, sed de modo, quo hæc sapienter et hominis dignitati convenienter posset exerceri. Qui, enim, aliter, Numam, quamvis Regem, Pythagoræ discipulum esse potuisse credidissent tot ex veteribus queis plura quam nobis de Pythagorâ, ejus institutis atque doctrinâ comperta erant? Quis de Pythagoreis, ergo, queri potuisset nisi aut qui potestate quâ munitus erat abuti vellet, aut qui cives suos, qui populari tunc in Magnâ Graeciâ gubernatione utebantur, in servitutem redigere optaret? Cæterum, Pythagorei nil aliud sibi assumebant nisi rei publicae formam, quæcumque ea demum esset; cum rectâ ac necessariâ populi libertate, Leges cum Philosophiâ, obedientiam cum justitiâ conciliare; nil aliud optabant nisi felices qui regerentur, sapientes qui regerent fore. Huic uni, denique, studebant ut res publica familiam quamdam præ se ferret in quâ magistratus patris munere, subditi vero filiorum fungerentur officio.

Aliquid, nunc, de Platone dicendum est, quem secundum Græcos inter Philosophos scimus de Politicis ex professo disseruisse. Ea fuit divini hujus viri mens

ut per Philophiam varia et innumera hominum vitia et mala in ipsâ eorum origine deprehendi et evelli possint, ad virtutem enim homines a teneris, ut ita dicam, unguiculis informari, et talem, inde, gubernationis formam induere voluisset cui sola virtus basis esse, quodammodo, videretur. Equidem, reor Pythagareorum exemplum incitamentum Platoni præbere potuisse ad tale iniendum consilium. Quoties, enim, propositum aliquod aliorum hominum, laudabile quamvis, videmus infaustum sortiri exitum, id quadam eorumdem culpâ vel inconsiderantiâ contigisse libenter existimamus, et meliora habiturum fata putamus si, inde, quidquid vitii irrepserit rite expungatur! Nulla itaque sibi publica munia, licet pluries oblata, censuit obeunda, neque enim populari gubernationi, quæ tum Athenis vigebat, infidelis, nec eidem, utpote quam omnium pessimam existimabat, servire volebat. Inde, accidit patriæ legum et civium corruptione nauseatus, otio, cui pro lubitu indulgere poterat, utens, consilium cæperit Rempublicam quamdam describendi, cujus Constitutio et Leges optime fini quem sibi proposuerant responderent. Nec minus operi huic, explendo fortasse induci potuit attentâ quadam consideratione habitâ tot, quas perlustraverat regionum, et Syracusarum, præsertim, quas ter, Dionysiis imperantibus, adiit. Quos vero hac de re libros scripsit in Dialogos distribuit, iisdemque de *Republica* seu *De Iusto* titulum adduxit, ex quibus totam ejus politicam haurire doctrinam licet. Quod ad nos atti-

net hoc tantum scire satis est, Platoni nempe nullam aliam Reipublicæ probatam esse formam nisi quæ et Populari et Regiâ *simul* auctoritate uteretur. Quid inde? Platonicusne idcirco Philosophus cæteris omnibus gubernationum generibus infensus erit quod magistri sui typo difformia senserit? Minime vero. Talem, enim, Plato populum fore vult, quem gubernatio ab ipso proposita deceat, qui sapientum conventus potius dici possit. Qua propter, Philosophi pene omnes tum veterum, quam recentiorum aetatum Platonis consilium *somnium* nuncupare non dubitarunt, quippe quod tot Platones quot homines dari posse, recte, negent. Utinam, igitur, ea sit aliquando humana conditio ut Platonis doctrina rei publicae tranquillitati in periculum venire possit!

Superest e veteribus Graeciae Philosophis unus Aristoteles, cujus politica doctrina sit a nobis perpendenda. Hanc, quidem, adeo parum timori incutiendo aptam credimus, quo dociliorem ubique Aristotelem, dum viveret, fuisse scimus. Stagyrae, Regi tunc Macedoniæ subditæ, natus, per medios Græciæ liberæ populos adultus, aliquantulum in regiâ vixit obscuri cujusdam tyranni, cujus filiam uxorem duxit, donec Philippus Alexandrum erudiendum ei tradidit. Atqui, nulli ex iis, sub quorum dominio moratus est, invisus, nulli ambiguæ fidei suspectus fuit, ita ut post mortem quoque Alexandri, cui carissimus fuerat, quotquot ei invidia hostes paraverat de hoc uno calumniari ausi sint quod divinos honores conjugi suæ Pithaidi,

pridem vitâ functæ, tribuendos censuisset, et sacrificiorum negaret apud Deos efficaciam. Nemo ex iis ita fuit audax ut per eum publicam quietem vel minime perturbatam fuisse assereret. Triplicem, quidem, ipse simpliciorum rerum publicarum statum, uti et cæteris placuit esse posse admittit, quæ nempe vel Unus, vel Paucorum, vel Omnium civium voluntate regantur, præterea unamquamque modificare posse contendit, prout liberior, vel servilior sit civium conditio, demum ex iisdem formis plures in unam conflare posse statuit, ad hoc ut mixtum quid, inde, exoriatur. Atque omnia ita considerat ut quid unicuique boni, quid mali insit plane recenseat, donec pro eâ rei publicæ maxime complicatâ formâ constare declarat, quæ auctoritatem partim Regi, Magnatibus partim, reliqua Populo concedit.

Si Peripatoticorum doctrina vix cui solitario homini, et longe ab aliorum comunione vitam agenti se commendat eam ejus partem, quæ, de politicis dicit, nulli prorsus fucum facere posse fatendum est. Quis, enim, ignorat eam quam nobis Aristoteles proponit Reipublicæ formam nullius prorsus civium ordinis votis satisfacere posse? Hinc, Rex Regiis insignitus honoribus, et Senatorius ordo, ad quæm nonnisi divitiis, vel avitâ nobilitate pollentibus aditus patet, quamlibet destruit naturalis æqualitatis speciem qua multitudo possit illudi. Inde, Rex ipse hædeditariam hanc paucorum hominum, eorumque opulentissimorum auctoritatem vereatur, præter quam publica sinit secu-

ritas, necesse est. Ex hac parte Patriciis multitudo suis semper juribus vindicandis intenta terrori est, ex illa Rex sceptri, cui niti licet, privilegia, qua possit exaltare, et augere, secretis præsertim consiliis, non desinit. Inde, fit ut Europæ gentium nulla historiam habeat turbulentiis et Seditionibus pleniorem quam Britannia, quæ tamdiu Aristotelicâ hac Reipublicæ specie regitur; nulla cujus vel minus hilares, vel diutius absentes, et peregrinantes cives sint; nulla ubi tot, atque adeo miserandis egenis medii sint pauciores iique ditissimi Optimates, ceu totidem Cræsi innumeris Iris obsessi; nulla cui minor sit spes vitia quibus suæ laborant Leges a radicibus evellendi. Quapropter, si perpacuos demas, unum est Britannorum omnium votum vel pleniore libertate, tandem aliquando, fruendi, vel sub Unius imperio, aequatâ civium omnium conditione, quiescendi. Qui, ergo, Reipublicæ ita constitutæ præsunt gaudeant oportent, quin timeant, Philosophum, ut pote Aristotelem, pro eis stare, nec ideo alii omnes trepident quippe qui videant neminem amplius hac de re Aristotelis auctoritatem floccifacturum.

Principum Graeciae Philosophorum de Republica costituenda opiniones cognovimus. Aliquid nunc de Romanis, breviter, dicendum.

Ex quo politica quædam connexio Græcos inter et Romanos orta est, eo res progressæ sunt ut Græcis liberta, Græciæque dominium sit ademtum, Philosophiae vero, et optimarum artium amor, et sciendi cupiditas,

victoribus pariter ac victis comunes extiterint. Attamen Philosophia Romæ hospitium nacta tales ibi discipulos habuit qui, ingenio licet sagacissimo, et philosophicâ palestrâ dignissimo pollerent, pluribus tamen de causis, quas hic enumerare absonum duco, eamdem nec ita perficere nec adeo colere, ut in Græciâ litterarum omnium magistrâ contingerat, potuere. Tum quoque cum philosophandi cupiditas in Romanorum mentibus ardentior facta est, neminem ex iis nove quidquam in scholas inducentem, omnes contra Græcorum pedissequos fuisse scimus. Indolem sane Populi Romani, et ratiocinandi methodum aliam ac antea per Philosophiam effectam videre est; non ita tamen ut vel scientiarum limites per ipsam protracti sint, vel eadem illa lux, quæ e Græciâ primum refulserat, clarior evaserit. Proximus quidem, sed longo intervallo, Græcis Latinos fuisse inde patet, quod, si Ciceronem excipias, nullum ex iis invenies qui, non dicam Platoni, vel Aristoteli, sed vel ipsi Sexto Empyrico aliisque minoris notæ Græcis philosophis possit comparari. Statuamus, igitur, licet Romanos numquam Græcorum magisterium detractasse, et perpetuo eorumdem fuisse discipulos.

Oleum et operam prorsus perdere ipse mihi viderer si de tenebricosis iis temporibus quæ Romani Imperii occasum subsequuta sunt aliquantulum verba facerem. Barbaries ipsa, quæ totam tunc invasit Europam, Philosophiæ impedimento fuit quo minus ad tribunal Sæculorum sistat, in quibus non dicam hac illac profuga, sed ad astra reversa visa fuit.

Refulsit tandem aliquando, tamquam humanioris disciplinæ aurora, Sæculum Decimumquartum, et vix dum serenam extulerat frontem, novâ lætissimâque luce percita hominum ingenia quodammodo reviviscere visa sunt. Italiæ præsentim Genius demissos oculos levare et spei plenos circumagere cœpit; quo et humaniores litteræ et liberales artes, et severiores disciplinæ vicissim refici, et recreari potuerunt.

Ita auream Italica Philosophia aetatem Decimosexto Sœculo attigit et (quod honoris causa dictum volo) nullas ex innumeris, qui tunc apud nos floruere, scriptoribus libros suos perniciosis inficere doctrinis ausus est.

Non ita multo post clarissimorum hominum agmen bello vividissimum, nec numerò exiguum, Galliam de Philosophiâ benemeritam ultra quam dici possit, effecit. Equidem, affirmare non dubitem, Sæculo Decimoseptimo progrediente, nullam aliam gentem philosophicis disciplinis Gallis prestitisse, et nostrates presertim ad aviti lauri umbram otiose, et inglorius torpuisse. Quam ob causam Galli tam sero Philosophiam, quæ privata, et publica hominum jura considerat, colendam susceperint ignoro. Tamdiu porro, Bodini, et La Boetii scripta in lucem edita fuerant, ast hæc fugacibus meteoris simillima, licet non omnino ei qui tunc in Regno illo vigebat ordini consona, nullum post se doctrinæ vestigium reliquere in civium animis, unde aliter, ac antea de variis rerum publicarum formis sentirent. Minus quoque dissensiones illae, postea

Provinciarum Concionibus Regiæ auctoritati adversantibus ortæ, in juris scientiam influisse visæ sunt. Operâ enim summorum hominum quorum ministerio Reges usi sunt horum auctoritas aucta potius quam imminuta est, eodemque tempore Regum et stabilitate et splendore plurimum profecisse notissimum est. Severiore quadam censurâ, nec non oculatissimorum Magistratuum curâ, quorum erat videre ne quid perniciosæ novitatis in rem publicam ulli moliri, aut proponere liceret, accidit ut in ipso primo conamine audaciorum scriptorum nisus in irritum cederent, imo vero sæpius nec audacter loquendi quidem libertas suppeteret. Medio Sæculo Decimoctavo tantum datum est flammis, quæ jam diu in interiore fornace compressæ fuerant, erumpere. Plurimi tunc, ingenio sane pollentes, sed violentissimis flagrantes lubididibus, quâ datâ portâ irruere in omnium mentes, et palam scriptis pariter ac voce *tyrannidem*, ut ipsi convinciabantur, quâ Gallia premebatur, incusare. Verum, quamvis audacissimi, haud multum primum proficere potuere. Eorum commenta et præposteræ sententiæ tantum animos legentium, vel audientium quantum vel scripta oculos, vel aures verba distinebant. Ludovici Decimiquinti imperantis incuria solum causa fuit ut, Regis favore eximio abutentes, plurimi Regiæ auctoritati tot inimicos suscitarent, tot querelas tamque atroces hac illac moverent quæ Gallorum animos inducerent ad optandam primum, tum ad procreandam rerum illam conversionem, cujus nos ipsi

miserrimi testes extitimus. Neque vero mihi persuadere possum eo res progressas fore nisi plura aliunde tam funesto consilio conficiendo viam aperuissent. Nam et colonis, quos in America Angli habebant, patriæ jugo excusso fortuna arrisit, et eorum causa ita se probavit Galliæ Regi ut exercitu, et classibus ipsis præsto fuerit. Quis autem ignorat quanta semper fuerit exempli vis, quanta liberæ cujusdam comunionis inter eos, quibus, licet, diversis in locis, eadem tamen sint vota? Adde his innumeram pene dixerim errorum seriem in quos, Fato quodam teterrimo, Regis administri incidere visi sunt, et rationem quamdam se gerendi quæ non nisi metam, qui eos invaserat, præseferret. Minimam, igitur, in tanto opere atque luctuoso partem sibi vindicat Philosophia, neque enim sanior philosophorum pars, quod notissimum est, justitiæ defuit. Secus enim qui tot doctissimi viri se tam iniquo prohibuisse facinore, tanta imo fortitudine idem clam et inaperto improbare potuissent? Qui per totam aliam Europam una pene fuit Philosophorum vox conquerentium usu adeo nefario doctrinæ bonorum malevolentiam concitari? Sed quis audiri languida veritatis vox in tanto effrenium lubidinum clamore poterat? Fuerant profecto qui pestiferæ cujusdam doctrinæ semina terrae commiserant, et innumeri cultores adstabant qui in omni vel humiliori solo eadem irrigarent, foverent, et nocentiora quodammodo novis insertis redderent. Quod enim ævum ita sapiens esse possit in quo desint homines quos natura ita consti-

tuisse videatur, ut eas quæ dominantur opiniones necessario sequantur ? Quot hodie videmus irreligioso opinantes et libertatis effrenis caussæ studere, quos furentes superstitionis et tyrannidis defensores alia forsitan aetas habuisset! Quemadmodum in liberalibus artibus ad nimium quoddam naturam vincendi studium descendimus, in divinis a religione ad sacrum furorem, sic veri cupidini paradoxorum amor, demum, fallacia tunc successit, et cum maxima (si talis forte fuit) cultura esset, in degenerem depravationem ipsa prolapsa est. Quid ergo nisi silere, tandem, potuere evectioris doctrinæ philosophi, dum omnes ii, quibus Regiæ auctoritat's incolumitas curæ erat, eo usque res progredi passi fuissent ? Anseres minime siluere, sed Manlius aut deerat aut expergisci non potuit ; quin imo non dubito quosdam ex iis, quorum erat vigilare, Tarpejæ potius exemplum imitatos, arcis portas perfidis hostibus subdolo consilio patefecisse.

Sectio IV.

Videor mihi Moralis Philosophiæ historiam in eo quod rerum publicarum stabilitatem respicit summatim descripsisse, quæ si longius quam ipse voluerim e plumâ prodiit eo plenius id evincet quod mihi proposueram Philosophiam nequaquam Megeræ comparandam quam intentam semper discordiæ faci per medios populos agitandæ fabulantur. Equidem censeo neminem inde me nimiæ in ipsam dilectionis accu-

saturum fore, neque enim nobiliores ejusdem annales vel leviter evolvi. Contra vero, quæcumque ipsi culpæ adscribi possent nullo partium studio in mentem legentium revocare non timui. Jam vero quid inde evincere possumus? Nequaquam Moralem Philosophiam, sed Philosophorum aberrationes et deliria rei publicæ detrimento esse posse, adeoque eos qui ipsam colunt nocuos vel innocuos futuros prout ad hanc vel illam disciplinam vivendi rationem accomodent. Itaque in ipsâ fabulosam illam Achillis hastam animadvertere videor quæ pia et beneficens eadem illa vulnera sanare valebat, quibus crudeliter aperiendis nulla erat aptior. Fatendum est, igitur, eam non secus ac cætera omnia quæ humana sunt in abusum vertere posse, nec aliis agere ut utilis evadat nisi vigilantiâ quadam, quâ fiat, ut qui jure populos regant columen in eâ et præsidium feliciter inveniant. Quod, si nostra hæc opinio non omnibus probatur, illud pro certo haberi debet Moralem Philosophiam, si malum suamet naturâ esse contendamus, malum esse tamen omnino necessarium, neque enim homo ita sui oblitus umquam erit ut de jure et de officiis suis nullam prorsus sententiam habeat, utque bona et mala, quæ in ipsum ex eà, cui subditur, regiminis formâ redundare prosunt, ad trutinam revocare cesset.

Sed jam Orationis vela contrahamus, idque pro firmo habeamus Philosophiæ nihil inesse quod publicæ quieti periculum portendat, nonnisi qui abuti velit ipsam e pharmaco saluberrimo in lætale aconitum posse

convertere, nullam rerum publicarum eversionem ejusdem impulsu ad nostra usque tempora contigisse, quin nostris ipsis diebus suo sane nomine non tamen consilio tot ac tantas politicas tempestates fuisse excitatas.

Quod si doctus homo neque ad optandas neque ad procreandas rei publicæ conversiones doctrinæ suæ stimulis ullo modo compellitur id pro certo habendum est ex iis quæ hactenus exposuimus eamdem ipsi potius incitamento esse ut ei, sub quo degit, rei publicæ statui se accomodet, eique plenius inserviat. Inutile prorsus duco immorari ut longius ostendam haec ab eâdem præstari. Nam quod aliud est se ad aliquid accomodare nisi animum ita ac voluntatem componere ut quicquid inde oriri possit libenter patiamur? Qui fieri ergo potest ut eodem tempore id everti speramus quod immutari nolumus?

Sectio V.

Verum ut plenior quæ diximus fides sequatur politicarum Conversionum historiam consulamus. Nonne haec docet tam cultas, quam barbaras nationes conversionibus obnoxias fuisse, hasque nullimodo populorum culturæ, ac diuturnitate, nec numero nec vastitate, respondisse? Nonne ex ipsâ discimus easdem esse, nullâ exceptâ, modo præpotentis factionis opus, modo integræ cujusdam nationis intolerabile jugum pati nesciæ? Nonne ex eâ clarissime patet nihil aliud,

nisi desiderium paucorum vel plurium in melius vertendi earumdem causam fore, et hoc quidem sæpe legitimum esse, quùm, nempe, detestatae auctoritatis abusus is sit qui nec ferri, nec cessare, nisi eadem eversâ possit, saepe vero condemnandum, cum nempe aut ambitionem, aut privatam aliam lubidinem auctores agnoscat? Nonne, denique, experientiâ docemur politicarum conversionum historiam cum eâ cupiditatum potius quam cum doctrinae historiâ esse conjunctam?

Sed annales jam evolvamus; celebriores publicarum rerum conversiones indicemus, ita tamen, ut nec de earum causis, nec de populorum penes quos peractae sunt culturâ sileamus.

Athenienses unius imperium libenter passi sunt usque dum Medontis, et Nilei, Codri filiorum, nefariâ operâ urbis viae undique civili sanguine redundarunt. Populari gubernatione susceptâ non ita multo post in licentiam ruere caepere. Divina Solonis mens nil intentatum, sed frustra, reliquit, ut eos ad bonam reduceret frugem. En Pysitratus, et cum eo regnum, cui finem fecit Pysistrati filiorum tyrannis.

Sparta civium suorum licentiâ turbatur. Lycurgus ut patriae tranquillitatem reddat Reipublicae statum innovat. Mutatum rerum ordinem additae leges, opportunissimæ diu servant, ita ut Macedonum imperio, cui tota pene Graecia succubuit, superstes fuerit. Regum auctoritas, gradatim vero aucta, Nabide imperato, in tyrannidem, tandem, degenerat. Illico Regno Libertas succedit.

Corinthus Regni formam diutissime retinet, media licet tot Graeciae gentibus qui liberâ dominatione utebantur. Automenis, postremi ex suis Regibus, sevitiis, denique, libertatem adepta est. Libertatem licentiâ sequutâ. Sub unius Cypseli imperio, tandem, quievit.

Roma primum Regibus paruit. Tarquinii fasto, et crudelitate Regium nomen comuni execrationi devotum est. Novâ subortâ Reipublicae formâ, in Monte Sacro Populi auctoritas, Patriciâ dep ressâ, amplior facta est. Pedetentim gliscente potentiâ, dominandi cupiditas quorumdam animis insedit. Hinc civilia bella et proscriptiones Imperatorum potestas sequuta est.

Syracusae, uc quid de nostris adducam, abolito Magnatum dominio nulli probato, Popularem amplectuntur gubernationem. Rebus in pejus ruentibus, Geloni submissae, paulo post. Thrasibuli tyrannide commotae, in libertatem iterum vindicatae sunt: sic libertati degeneri Dionysiorum tyrannis, huic rursus libertas saccessit, usque ad Agathoclem, cui omnia iterum paruere.

Huc usque vetusta, nunc recent iorum populorum historia consulenda.

Regiâ auctoritate per Caesares Romae constitutu prioribus saeculis, ne aureo quidem Augusti excepto, nullae fuere po liticae tempestates, licet cultissimi, nec semper Tito, aut Aurelio, queis nemo multitudini acceptior, Romanus Populus obtemperare coactus sit. Mole ipsa sua ruit, tandem, immensum Romae Imperium, totque fuere Politicae Conversiones, quot popu-

li, nec hi tamen culti, qui ejus jugo submissi fuerunt.

Interim vero Graecum imperium, unica illa regio, quam adhuc litterae, et artes humaniores honestarent, inconcussum perstitit.

Ferrea Longobardorum gens, ferocissimi, Unni, incultiores ipsae barbararum tribus, effatis, quibusdam rudioris plane, non tamen minus efficacis, Philosophiae numquam carentes, sua vota, et consuetudines iisdem conformando, ob ipsorum influxum in tenebricosam Italiam effusam noctem Statuum Mutationes Litteris non tribui clare probant.

Inaudita civilium vicum series, hac Regulorum tyrannide, illac ridiculâ quadam Germanorum Imperatorum vanitate qua dominari absque ullo stabili copiarum praesidio praesumpserant, Undecimo et Duodecimo vertentibus Saeculis, Italiam ita dividit ut plures inde Respublicae, et plura emerserint Regna. Primae quidem diu agitari visae sunt incertae ne paucorum an omnium voluntate regi deberent, alterae vero contendere non de Unius dominationes, sed de domini delectu. Publicis Conversionibus Saeculum Decimamquartum, Litteris, ac Philosophiâ ab interitu vindicatis, inducias statuit quae viam quodammodo stravere interiori illi concordiae quae, aureo Leonis Decimi aevo ad finem vergente, omnia composuit.

Anglia ex unâ inalteram turbulentiam incidit, saepe innovari, saepe variari rerum publicarum ordinem sentit, civium animos in partes dividi modo de sacris, modo politicis de causis, nullam tamen subiit conver-

sionem, postremis hisce duobus saeculis praeactorum.

Helvetia, diu Austriaca passa vincla, Proconsolum, demum, efferatae tyrannidi indocilis, jugum detractare ausa est et tot fieri faederatas Respublicas quot antea Provincias habuerat jussit, paucis agricolis ducibus.

Dania, et Svecia saepe regiminis sui formam immutari senserunt, potentissimis exagitatae factionibus, quae captivae plebis barbarie, et Regiae auctoritatis infirmitate abuti nunquam cessabant.

Utraque vero stabilitatem, quâ nunc gaudent, unius ex suis Regibus, Christiani nempe et Gustavi Adolphi, virtuti et prudentiae acceptam referre debent, qui tamen parere eam valuere plebejorum amore beneficiis sibi devincto, et eorumdem ingenia humanioribus disciplinis expolito.

Batavi liberi fiunt, intolerandâ Philippi Secundi Regis auctoritate pessumdatâ, qui, vi potius quam ratione adhibitâ, avitum cultum jam prorsus abolitum in eâ imperii sui parte restituere conabatur; atqui hi nil aliud quam piscatorum manus dici poterant. Posteriores subiere hi quidem turbulentias, non tamen doctrinâ cogente, vel suadente, sed supremi sui Magistratus exlegem ambitionem in dies crescentem compescendi studio. Seditio modo Lusitaniam, modo Hungariam, modo Poloniam, modo Borussiam invasit. Verum ex his prima contermini populi, a quo domita fuerat, jugum detestans, ceterae Magnatum supra Regiam auctoritatem extollendi cupidae haec ausae sunt. Quid his cum Philosophiâ comune esse poterat? Quid, contra, quod haec non imprubaret?

Coloniae, quas ultra Oceanum Anglia habebat, libertatem celeberrimâ quadam nostris pene diebus rerum conversione adipiscuntur, nec omnibus suis ducibus Philosophi nomen est abnegandum, sed injuriae repellendae, et avara Europeorum concilia sibi damnosissima irrita faciendi studium tanto operi auspicio fuit.

Quid plura? Vidimus heu! nos ipsi, vidimus, Galliam, et post eam Bataviam, Italiam, Helvetiam, et exparte Germaniam civili tumultu misceri, et cruentari. Licentia et furore sacra legum vincula solvi, aras destrui, naturam conculcari. Equidem nescio an homines alio usquam tempore vel crudeliores, vel insaniores se magis praebuerint. Oportuit ut Dei Optumi Maxumi providentia, si ita loqui fas est, thesauros suos quodammodo exhaurirèt ut in Homine Uno summis vitiis atque virtutibus summis praedito tot ac tanta conjungeret queis et seditionibus finis esse et damna reparari et malorum memoria tunc deleri possent. Proh dolor! quidni propria haec nobis dona fuere? Cur tam pulchris ejus inceptis tam dispar exitus fuit? Cur nec Galliæ qui eam regeret avito jure redditus est, nec caeterae Europae suimet dominatio relicta? Prima tamen ultimis discordia fuisse fatendum est, eaque talia quae nulli non sint probanda, dummodo vile assentationis studium seponamus.

Sectio VI.

Absoluto. ut ita dicam, celebriorum Publicarum Conversionum compendio, per quod nobis patuit illas sine doctrinae fomite paratas fuisse, satis liquet: nonnisi nostris hisce temporibus doctos homines rei publicae statui invertendo laborasse, non adeo tamen efficaciter ut a nonnullis gratis asseritur, nec pleno eorumdem concursu.

Etenim, quod mirifice ad rem nostram facit quotus quisque tumultuantium, qui philosophos se jactabant tam sacro dignus nomine censendus erat? Plurimos profecto ex iis loquelâ quadam philosophicâ balbutire audivimus verba quaedam, queis nihil augustius, nihil definitu difficilius assidue usurpantes, hominum modo jus, modo naturalem aequalitatem, civilem libertatem modo, modo aequam potentiae distributionem, modo aequilibrium auctoritatis inter eos quorum est leges, vel ferre, vel executioni mandare, vel dijudicare, aliaque his similia, incessanter, conclamantes. Itane vero satis est altisonis uti vocabulis ut Philosophus quis et habeatur et sit? Quam pauci ex iis veram libertatem, eamque juris quâ decet paritatem exquirebant! Licentiam plures, Magnatum divitias, pubblica munia, aliorum oppressionem, sui elevationem adpetebant! Nonne ipsi novimus tantâ popularitatis ostentatione agnomina illa quae auctoritatem quamdam natalitio jure concedere videntur primum proscripta, deinde, raro levitatis exemplo, restituta? Nonne equestres honores

primum abolitos, dum aliis cederent, postea vero, cum sibi decori fore putarent, ab aevi nostri reformatoribus amplexos ipsi derisimus? Nonne, demum, Regiam auctoritatem cujus vel solum nomen honori primum fuerat, mox vidimus Asiaco luxu, excubiis innumeris, assentatoriis nominibus, cultu pene divino muniri, et exornari? Quod est, igitur, delirium si haec Philosophia est? Aut, igitur, ii qui suo nomine res publicas turbare sunt ausi nihil minus fuere quàm Philosophi, aut, si tales reapse fuere, longe alio quam Philosophiae studio, et amore ad ea peragenda incitatos fuisse fatendum est. Quoniam vero humani nihil a Philosopho alienum esse puto, mirandum non est quod doctrinam praetexentes ambitioni ipsi suae servire potuerint.

Verum, agedum, putasne fore hanc naturalem hominis conditionem, qui suâ ipsâ doctrinâ superbiens, quâ prae iis quoque eminet queis subditus est, eorumdem imperium detractare, et habenas quibus invitus regitur ad se trahere conetur? Minime vero. Quicumque enim vel mediocri excellat doctrinâ ignorare nequit rei publicae administrandae arte quadam peculiari opus esse, quae nonnisi diuturno exercitio ac tyrocinio quodam praehabito bene vertat, doctissimo cuique et rei publicae gubernaculum nondum experto nonnisi normas quasdam suppetere, easque idem ipsi fore, quod nautica pyxis nupero navis rectori, qui primum in turbulentissimi maris tempestates incidat. Adde otium illud beatissimum, quo ita privato in suo

recessu gaudet, ut flores ac lemnisci queis ambitionis victimas ornari videt, minime sibi faciendi jure videantur. Neque ipsum fugit, praeterea, veram gloriam, quam, avidissime, exquirit, non illi tribui cujus nomen pluribus sit pertimescendum, sed cui majus sinceriusque obsequium ab aliorum animis, sponte, concedatur, et in tantâ humanarum cupiditatum ac opinionum varietate impossibile fore ut unanimi assensu qui nobis parent nostra probent. Quia, imo, neminem latere potest invidiam tam maxime in nos impetum facturam, cum nos magis in propatulo, ac minus privatae conditionis latibulis absconditos visura sit, adeoque umbram, ut ita dicam, potius solii Regalis, quam apicem esse adpetendam. Neque id gratis per nos asseri credendum est. Quae enim asseruimus relate ad naturalem cultiorum hominum cuicumque regiminis formæ docilitatem Pysistrati et Periclis, Hieronis, et Alexandri, Augusti, et Leonis, Lodovici, ac Friderici historiæ per eos, qui illis perluxere temporibus confirmant. Denique, id meminerimus necesse est, nobis minime de Græculis quibusdam sermonem esse, qui

in cœlum, si jusseris, ibunt,

Juven.

non de iis qui, indebite licet, plurimum sibi arrogant, sed de iis quorum fama rarior doctrinâ reapsè ac exquisitâ conjuncta sit. Primi, enim, nempe scioli, ii sunt qui mistici Philosophiæ montis dorso vix impendentes eo majore ab apice intervallo distant, quo humillimæ valli, unde extolli contendunt, sunt proximiores. His quidem

aciem oculorum montis objecti magnitudo ita perstringit ut eidem conscendendo inepti, sistere, ac retrospicere gaudeant et inde innumeros homines queis supereminent aspernari, et pessumdare fas ducant. Omnes ii, contra, qui verâ doctrinâ sunt præditi, alias quidem ac in se ipso virtutes nec minus faciendas in cæteris inessse sentiunt, nee sibi jus ullum alios contemnendi tribui, eo quod præceptis institutisque Philosophiæ plenius abundent. Ex his, enim, felix quædam animi bene a naturâ conformati dispositio; erudimenta ab aliis forte plerumque accepta; otium, denique, quo sibi vacare, ac genio indulgere licuit maximam sibi partem exposcunt, eosque sperni vetant quos aut inscitie damnavit temporum difficultas, aut ab incepto ad doctrinam tramite revocavit. *Hoc unum scio, me nihil scire*, erat, porro, aurea illa sententia quam crebro Socrates usurpabat, docens qualis philosophum modestia deceat. Et Epictetum omnes admirati sunt gaudentem quod in publicis muneribus alii multi sibi præferentur. Hoc enim virorum bonorum, patriæque utilium copiæ judicium esse existimabat. Quod, si aliquando doctos quoque superbientes videre datur, id aut aliorum arrogantiâ fit, qui idcirco eos ludibrio habent, quod in iis suam exprobari ignaviam sentiat, aut inopiae illi doctorum hominum, quâ premimur, acceptum referri debet. Equidem, ita sentio neminem hisce aut modestiorem, aut mage bonum futurum si quando, aut minus audax inscitia aut frequentior evaserit doctrina.

Sectio VII.

Reconditas causas, quae doctos homines pro rerum publicis conversionibus stare quandoque compellunt, revelavimus. Neque, idcirco, minus doctrinam, ut superis placuit, ab injustâ qualibet censurâ absolvere conati sumus. Alia nunc statuamus oportet. Facultatem profecto hujusmodi hominibus inesse conservandi, juvandi saltem eum, quo reguntur, rei publicae statum evidens est, dummodo influxum illum vel leviter consideramus, quam in civium suorum, imo vero in hominum consilium iidem exercent.

Equidem non eam esse cultioribus viris auctoritatem puto, quae a pluribus eorum sibi nimis confidentiam arrogari videtur. Supremum jus hi quodammodo in hominum animos habere in ipso humilis sui recessus silentio, ac solitudine somniantur, eumque punctum illud fustra ab Archimede quaesitum esse rentur, unde cœlum, terramque movere queant. Hujusmodi vero deliramentum ideo libentius condemno quod imaginariam hanc potestatem nonnullis, quis est rebus publicis præsse, terrori, ideoque philosophis detrimento non parvo fuisse animadverto. Sed queis inficias ibit eos esse tamen qui, ævi sui judicia, aut prorsus regere, aut aliquantum flectere valeat? Atqui judicia haec ea sunt, quæ, non secus ac amnis monte decurrens, quæcunque eis adversa sint sternere, et secum in præceps trahere potis sunt. Quis neget eloquentiæ ful-

mina, dicendi charites, aut Atticos sales id esse litterato philosopho, quod militi ensis, aut medico pharmaca? Quis neget rationem præsidiis hisce munitam id præstare ut erroris involucra queis sæpe operitur rejiciat, et quæ veritatis lucem abscondere possunt dispergat? Inde fit ut cæteros omnes veritatis lux quædam adeo vivida pervadit quæ potentiæ viribus extingui posthac nullo possit modo. Româ libertatem, decedente Uticâ Catone, periisse, Thebis virtutem et gloriam una cum Epaminondâ ademptas fuisse prorsus dubio est, doctrina, contra, Socratis ipsâ illâ cicutâ quae auctorem suum Athenis perdidit confirmari et vigorem, quam ne veritas quidem illi impertiri potuerat, accepisse visa est. Quot veterum philosophorum praecepta et sententiae nostris adhuc mentibus insident, nostramque vivendi rationem degunt, cum Cyri, aut Alexandri, aut Caesarum, imperii nil nisi memoria superstit. Si tantum itaque auctoritatis apud multitudinem doctrinae concessum est, si qui eâ sunt praediti non modo id non ignorare, sed pluris quam res ipsa sit, ducere videantur, qui fieri poterit ut eadem uti recusent, quando id agatur ut per eam rei publicae statui, quem diligunt praesidio sint? Ecquis est, oro, qui perdi aliquid nolens, quantum in se est, ejusdem conservationi non incumbat, nec eam pro viribus retinere contendat? Hac, perinde, esse mihi videretur ac nolle quod velis cumque Judaeo illi simillimum judicare qui Cyro Hierosolimae templum a fundamentis restauranti plaudens ne arenae quidem micam tanto excitando operi manu sua ferre voluit.

Quid plura? Sapiens, vel nolens rei publicae conservandae inservire mihi videtur, dummodo deditâ operâ eidem destruendae animum non intendat. Quis enim vere sapiens qui nisi voce, aut scriptis, exemplo saltem caeterorum hominum erudimento non laboret? et quodnam eruditionis esse potest genus quod nec veritatem aliquam praedicet, nec ullam discentium facultatem exerceat, nec, denique, in aliis discendi saltem desiderium excitet? Quicumque, ergo, philosophorum curas exitus maneat, manifestum est homines ejusdem consortio meliores, et publicis obeundis muneribus aptiores evadere.

Sic, Atheniensis juventutis quodammodo tutor, Socrates ad patriae suae salutem, rerum suarum administratione neglectâ, juniorum curâ, suscipiebat, eosque primum jucundae consuetudinis suavitate captabat, illaqueatos si vidisset, monebat severius, rigidiori censurâ, postremo castigabat. Hoc pacto Phaedonem adolescentulum lupanari publico prostitutum redemit, fecitque philosophum; Platonem, Poeseos cultorem ferventissimum, pretiosiora studia, ad quae eum natura conformaverat, capessere suasit; Xenophontem a vulgari luxu ad sapientem reduxit sobrietatem. Heschinum, et Aristippum ex pauperibus et otiosis laboriosos, hinc divites; Alcibiadem ex inscito doctissimum reddidit; Charmidem gravem fecit et verecundum; Theagem justum fortemque civem; Phœdrum, Eutidemum, ac Menonem a Sophistarum captiunculis ad veram transtulit sapientiam. Quo factum est ut non modo ju-

cunda, sed utilis etiam Socratis fuerit consuetudo, ac multo ardentius ab adolescentibus, ut Alcibiades ajebat, dilectus ipse fuerit, quam eos dilexerit.

Quanto, vero, nuper magnanimo Napoleoni docti homines praesidio fuere ut in pace Galliae adeo convulsum componeret statum et quam felicium exitu plurima eorum vis tanto operi complendo adscita fuit! Hos ille sibi devincire quos præmiis, quos honoribus adhibitis, quos suavi quadam familiaritate, solertique pacis et recti proposito amore valuit. Ejus quidem sagacissimo consilio, optimorum artificum manu sculptae, insignium virorum imagines in Parisiensi Pantheon reviviscere visae sunt, quos, seditiosorum furori devotos, mors litteris, et patriae miserrime abstulerat. Atqui hi sunt quos Philosophiae detractores tantorum motuum auctores solos fuisse conviciantur! Imo, philosophico quasi conventu habito aliis Legum ferendarum, aliis tenerê adolescentium menti opportuniora, et saniori referta doctrinâ erudimenta condendi, aliis nostrorum temporum historiam non vanae cuidam curiositati explendae, sed animo ad justitiae, et pacis amorem informandi conscribendi opus sagaciter imposuit. Nec laboris pars aut Oratoribus aut Poetis defuit. Per hos, enim, medelæ, quas philosophi gravi nimis supercilio et satis amaras delicato adolescentium palato parabant absynthii sapore posito, et mellito eloquio, vel carminibus mollioribus conditae sanitati inducendae meliores fiebant. Praestet id Deus immortalis ut tam luculentum exem-

plum, quod veritatis amore adducere coger, quod tantopere nostrae confirmandae sententiae inservit dociliores, et prudentiorum hominum, quicunque fuerint, vestigia sequendi, cupidiores eos reddat in quorum potestate Europae sortem constituta laetamur! Recte, igitur, magnus ille Borussiae rex Fridericus votis cœlum fatigabat ut gens suo submissa regimini cultior fieret. Intelligebat, enim, neminem esse posse dociliorem, neminem libentius publica onera laturum iis qui eorumdem convenientiam ac necessitatem plene sentiat. Quod, si plerumque in contrarium res cedit, ideo fit buia inutili pondere, aut tali quod humori ferre non valeant gravari sentiunt, aut quia saepius, quamvis non desit, latet tamen onerum utilitas ac opportunitas. Careat, igitur, tenebris, quantum fieri potest, gubernandi ars. Nulla nisi necessaria, aut utilia onera imponat. Una erit illico tam Regentium quam illorum qui reguntur voluntas. Innumeris scatet historia exemplis, quibus ea quae diximus amplissime confirmantur, et nobis ipsa exhibet pluries, et ubique populos ultro, pro salute publicâ, omnia periclitatum isse quoties rectorum vox et suadere et fiduciam excitare calluit.

PARS SECUNDA

Brevius hanc, quidem, sed quantum satis est ad evidentiam inducendam Quaestionis nostrae partem alteram illustrandam, tandem, suscipiamus. Hæc, vero, duplicem quodammodo faciem praeseferre videtur. Quaeritur, enim, una doctorum hominum propensio, seu quae conservandae, seu quae rei publicae immutandae animum intendit in majorem laudem, et utilitatem cedat.

Sectio I.

De laude, itaque, et utilitate privatâ, vel publicâ sermo esse potest, adeoque exquirendum num utraque vertat in politicae conversionis auctorem, an vero in populum, cui novum rerum ordinem ejusdem bonum vel nequam facinus attulit. Intelligo profecto in utroque casu dubium resolutum iri si ad justitiam, et prudentiam rei gestae animum applicemus. Quoties, enim et prudentia et justitia politicis conversionibus comites adstiterint, laudem et utilitatem populo cui bono fuit venturam manifestum est. Qui, vero, patriae saluti ita consulerit gloriam profecto consequetur amplissimam, quippe qui et laudabile et utile opus exanthlaverit. Non tamen, idcirco, privatam utilitatem operis auctor semper nanciscetur. Hanc, enim, tum tantum facinus subsequetur, cum conversionis ergo in melius sui ipsius conditio verterit, nisi utilitatis nomine

celebritas veniat, quae in magnis tentandis, multo magis conficiendis potest acquiri. Iam vero perquiramus jure ne injuriâ et prudentiam et justitiam a nobis desiderari, ad hoc ut rei publicae forma cum laude, et utilitate dici possit innovata. Id quidem compertum omnes habent hujusmodi conversiones, si injustae sint, numquam prudenter tentari posse, sed non omnibus sedet easdem, licet justas, posse aliquando imprudentiae notam mereri; atqui nihil verius. Ea, enim, est plerumque calamitatum, et malorum series quae leviores quasque seditiones manet, ut rarissime bona, quae inde oriri possunt, compensationi esse possint. Nam quis ignorat tum malis gravioribus easdem vacare posse quum unanimi civium assersu, et concursu fiant, et novus renum ordo inde nascatur qui votis publicis plene respondeat, quorum quid actu sit difficilius nescio? Tunc, enim, nec aliter, factionibus aditus omnis praecluditur, quae semel ortae nullum jam modum servabunt. Ad licentiam, enim, ordinis quidem constituti, quicumque tandem hic fuerit, brevissima licet intermissio viam aperiat necesse est. Tunc rerum publicarum et justistiae praesertim habenae ad novos populi rectores demandantur ubsque ullo interregno, cui multitudinis nullo coercitae timore cruentus furor semper et exlex detrimento ac dedecori sit. Tunc, denique, populus, quem experientia docuit quantâ facilitate rei publicae status queat innovari, novas adpetere conversiones haud desinit, unde majorem sibi utilitatem venturam confidat.

Oh! nostra vere miserrima tempora in quibus hujusmodi veritates ullà prorsus demonstratione non indigent; in quibus tanta Europae pars adhuc plectitur quod easdem experire potius, quam prædiscere maluerit! Vos, vos oro, atque obsecro, doctissimi viri, qui nostræ conscribendæ historiæ sedulam datis operam, vos, quos vitæ magistros habere volumus id efficite ut fideliter (neque enim hic exageratione opus est) posterum memoriæ tradatis luctuosissima quæque nostris his temporibus publicas conversiones præire, comitari, sequi nos ipsi dolenter persensimus. Eo vobis incumbendum est, ut posteri calamitatibus nostris illacrymantes vel ipsum politicarum tempestatum nomen reformident ac detestentur. Vestrum est eosdem monere decimumsextum jam pene elapsum mensem ex quo magna Europæ pars ignorare videtur quid sit domestica quies, quid pacis otia, quid (non dicam tantum rerum, quas nostras ducimus) sed corporum quoque quæ informamus libera possessio, quid facultas pacate divinum illum cultum exercendi, quo nihil utilius nec in secundis nec adversis in rebus, quemque nobis incorruptum majores nostri tradiderunt. Vestrum est more brevi scelestissimi elapsi temporis spatio trium potentissimorum regum (Ludovici XVI. nempe, Gustavi III. et Pauli I.) sanguinem effusum, quinque jam nobilissimos viros e Regiâ Borbonum gente ferro ademptos, capite indiscriminatim et vesane mulctatos quotquot in sententias irent aliquantum difformes sanguinolentæ illi doctrinæ cui soli licebat impune

baccari, matrum prole orbatarum præfocata suspiria, amplexus postremos castissimis conjugibus, quos aeternum mors sejungebat, interdictos. Vestrum est monere.... Sed quid, posterorum charitate, in nostra ipse vulnera sævio? Satius erit ut, quoniam de prudentiâ quæ rerum publicarum conversiones decet, jam disseruimus, quamque raro admodum in ipsis inveniri vidimus, quæ ex iis *justæ* dici mereantur modo statuamus.

Sectio II.

Cum nullum, præter tyrannidem, sit gubernationis genus quod pessimum haberi possit et sit, inde sequitur nullum homini jus esse, ut ejus ruinam ambiat, quod malis quibusdam naturæ ipsi suæ insitis omnino non vacet; neque enim aliud sufficere dabitur quod omnino careat. Ea, igitur, debent esse quæ intolerabilia sint, et talia ut e rei publicæ constitutione tamquam ab infecta radice pullulare videantur; neque enim aliter sperare licet, eadem eversâ, cessatum fore ubsque eo quod alia aut aequalia aut forte majora mala subeant, et crisis, ut ita dicam, morbo funestior evadat. Neque vero sunt hæc aut metaphysicorum subtiliores fallaciæ, aut hominis nimis pacifici deliramenta. Ecquæ enim alia mortalibus jam superest ad pictam illam felicitatem, quâ frui datum est, via, nisi bonorum et malorum computatio? Sint hominis, quæ demum velis, et jura et privilegia, id pro certo ha-

beri debet eumdem singula exercere minimo posse ut iis frui possit quæ vere sunt pretiosiora.

Consilium, interim, quoddam meum ut aperiam (quod, licet paradoxi speciem primo præseferat intuitu, non ideo minus probabile puto) omnes, quotquot sunt, gubernationis formas in unam reduci reor, si tyrannidem demas, tam quæ Unius, quam quæ Magnatum, vel Multitudinis nomine possit exerceri, dummodo tamen nec de munerum publicorum nominibus, nec de eorum, qui ea obeunt, numero, utpote quæ nullius sunt plerumque momenti, curam habere velimus. Quis, enim, non videt tam sub absolutà quam sub temperatâ Unius potestate, tam Paucis imperantibus quam Omnibus in regiminis partem vocatis, legislatores numquam esse nec judices nec legum servandarum curatores, ita ut ubique triplex illa magistratuum distinctio magis minusve ad unitatem reducta adsit, quam nonnisi in *Republicâ* proprie nuncupatâ dari omnes pene philosophi autumant? Quid interest si omnes hi publica munia adeant Unius auctoritate, stabili illâ quidem, ideoque sæpius experientiam ducem sequente, an Pluribus suffragantibus quos potentibus semper parere scimus? Ubicumque leges sapientiæ typum servent, ubicumque eas violari re potius quam dictu nefas sit, ubicumque earum auctoritati omnes pariter cives sint obnoxii, ubicumque ædem sint omnibus poenæ, eadem præmia, idem capessendæ rei publicæ jus, salus publica in tuto est; nec qui in liberâ civitate degit de quo gloriari rite possit præ iis qui

sunt sub Regiâ potestati constituti, aut quod utrisque comune non sit. Nam, quoad cætera, nescio an Regis voluntas magis anceps, vel mobilis esse possit quam multitudo, cui quot capita tot insunt sententiæ. Publica vota ea sunt quæ ubique, serius, ocyus, Magistratuum consilia regunt, nec minus regias quam curias pervadunt. Quin imo, quo minus inter se dissitæ sunt eorum qui imperant facultates, eo simplicior rei publicæ constitutio, eo facilior præsidum in unum consensus, eo expeditior rerum cursus fiet. Quod si nullius quandoque auctoritati submissi Regum administri esse videntur, non ideo pertimescendum, nam comunis execratio, judice quolibet formidabilior, eorum mediocritatem redarguere, errores detegere, perversitatem, si quando insit, punire valet. Itaque sapientes justitiam et utilitatem in rerum publicarum conversionibus raro admodum reperturos puto, si hoc modo varia gubernationis introspiciant genera, quod tamen minime pluribus tam brevi tractatione probari posse intelligo.

Sed quicquid sit de nostrâ hac peculiari sententiâ, procul dubio est rei publicæ conversionem, ad hoc ut justa sit, his ipsis egere rebus quæ prudentiæ notam in eam inducere possunt. Unanimi nempe civium suffragio et ultroneo assensu confici debet eoque ducat oportet ut novus inde ordo nascatur, qui mala pridem extantia auferri sinant, absque eo quod nova vel æqualia vel majora gignantur. Sed nihil horum dari posse compertum est nisi is sit invisæ dominationis

abusus qui et insitus ipsius naturæ et vere intolerabilis dici possit, quod minime dari censeo, nisi ubi rei_ Publicæ statui basis sit vel Unius vel Paucorum vel furentis Plebis tyrannis, quâ nullum aliud malum gravius esse potest.

Sectio III.

Superest ut quœstioni nostræ omnino absolvendæ breviter indicem quomodo philosophorum concursus rei publicæ servandæ indubius effici possit.

Res primum ita temperandas censeo ut iidem in rei publicæ gubernatoribus, non verbis, sed revera columen, salutis publicæ præsidium agnoscant. Deinde, id fieri debet ut doctorum hominum privata utilitas, quo nihil facilius, cum publicâ sit utilitate conjuncta, eorumque conditio ea sit, quæ nec quid sperare ex ulla rei publicæ conversione, nec quid ab ejus conservatione timere possint; neque enim sui ipsius charitas in philosopho ac in cæteris hominibus minor esse debet. Utinam tandem desinant sapientes viri aliquando queri eo quod in philosophorum præceptis jamdiu historiæ quædam satyra et in hac vicissim philosophiæ satyra assidue deprehendatur. Ita tantum fiet ut cor menti concors evadat, et quicumque aliis ingenii culturâ præstant in legibus, et civilibus institutis publicæ felicitatis Palladium constitutum esse laetentur.

Ut vero haec consequi rite possimus, liceat mihi

eodem animi candore, quo hactenus usus sum, id ab iis qui populis praesunt implorare ut in publicis capiendis consiliis philosophorum oracula consulere non pudeat, iisque ducibus vitia, si quae sunt, a radicibus extirpari, et optima quaeque instituta in rem publicam induci permittant. Cur enim a peritioribus in re oeconomicâ consilium capimus si de iis agitur quae artibus, nec semper utilioribus, perficiendis aut commercio juvando conducunt, et quae nonnisi divitiis parandis inserviunt? Omittitur, vero, in caeteris omnibus quae publicam salutem respiciunt, in quibus majori vigilantiâ et sagaciâ opus est? Neque vero, interea, adolescentum liberali educationi et disciplinae minus incumbendum ut, nisi praesens, futura saltem, aetas et docilior fiat et ei, sub quo degendum ipsis est, rei publicae statui conformiori exornetur doctrina, ut odorem quo semel, veluti testa, imbuta fuit diu servet. Non ita pridem dolemus perversissimas opiniones quasi pro lacte instillari juvenum mentibus quae cera molliores tam veritatis quam erroris impressionibus suscipiendis aptissimae sunt; jam diu in iis contemptum et manifestam quamdam aversationem erga omnia majorum nostrorum instituta creari conquerimur. Inde, fit ut eorum animi superbia elati temperatiorem quamlibet doctrinam aspernentur, et innovandum societatis ordinem in sano consilio praesumant. Quae cum ita sint, omnes Dî, quorum est civilia tutari jura, caveant necesse est, ut sanioribus doctrinis suus cultus redditus, et erroribus sit iter

praeclusum. Neque, vero, ad hoc vim ad hibendam aestimo : satis enim erit aciem quamdam philosophicam instruere, in qua docti et probi viri praemiis, vel honoribus conducti simpliciori modo errores, quicumque in hominum animis ad eorum perniciem irrepserint, eosque absque ironiâ vel sarcasmo falsitatis redarguant. Itaque, indigna liberalitas illa quâ saepe ignaviae, assentationi, generis nobilitati, nec semper de republicâ bene meritis publicas opes largiri dolenter videmus longe laudabiliore usu ad doctrinae incrementum, ad foedus ipsum inter et probitatem in eundum vereant.

Equidem non dubito rectum hunc earumdem usum id praestiturum ut novis et incorruptis philosophiae alumnis et probatae jam doctrinae viris honesta praemia et iis qui a recto tramite declinarunt, ad meliorem frugem reducendis incitamenta, omnibus demum civibus ad virtutem, ad verum patriae amorem, ad publicam utilitatem informandis opportunissima quaeque non sint defutura.

Nec minus cavendum ne in civilibus conferendis dignitatibus ulli secundus sit doctorum coetus ; quin imo in publicis muneribus impertiendis id praestari debet ut quae consiliis potius capiendis quam executioni mandandis versantur philosophis et litteratis quodammodo jure concedant.

Postremi, enim, mediocris ingenii viris reservanda sunt, ne forte dici queat Herculi pro Euristhei clavâ traditam Ioles colum fuisse. Quo enim populi recto-

res indignentur in morum consiliariorum conventum, eos admitti quorum animus paratior est ad singula quae culturâ rariori egent? Abroganda, tandem, vetus illa sententia, quâ nihil falsius, artem populos regendi longe diversam esse, ac difficiliorem ea quae ipsis erudiendis inservit, perinde ac facilius sit homines ad virtutem vi quam suasione perducere.

Pateant, igitur, doctioribus, sed probis philosophis aulae, Senatus et Curiae, neque enim aliter dabitur in unum doctrinam, virtutem, auctoritatem cogere quae nobili quodam emulationis studio concitatae eo fortiori quo magis unanimi consenso humani generis felicitatem operentur. Nam, donec auctoritas et potentia ex unâ, virtus et doctrina ex alterâ fuerit parte, raro admodum fiet ut sapientes magna concipiant et Statuum utilitati vere consona; sed rarius quoque Regibus optima facere continget ex quo necessario sequitur homines numquam nisi viles, pravos, miserrimosque futuros.

Conclusio

Vos vero, quotquot estis, doctrinae cultores, divinam gerere legationem numquam desistite. Vestrum est nobiliore ultionis genere, quod plurimi ex vobis obliti videntur, homines meliores efficere. Pergite, simplici vivendi et integro modo, aliis exemplo esse. Sed una Cynicorum fastum, quo nihil arrogantius, imitari desinite. Illud, denique, prae vobis perpetuo

sit nullum vobis dignius futurum praemium quam hominum, avide et inaniter plerumque, exquisitae felicitati non minus ac emollienti eruditioni, efficaci studio, consulere.
